

dicamento substantiæ : Ergò & Deus. Negavi maiorem. Probabat: Deus est vivens, deinde est sensibilis: Ergò vivens sensibile. Negavi secundam partem antecedentis, prætermiffa prima. Probabat: Deus maxime sensit hominum peccata: Ergò est sensibilis. Hac audita probatione omnes ad risum provocati fuere, & merito; nam similis æquivocatio sensibilitatis nihil à cõcurrentibus extorquere poterat, & risum pro responfo habuit.

27. *ATO.* Fateor, plura, quæ à nobis dicuntur, risum vobis Peripateticis excitare; sed hoc, vt Nostri frequentè advertunt, ex præiudicio ingenti veritatis procedit, quod videlicet ab infantia mens contrarijs, & erroneis apprehensionibus imbuta cum ætate ipsa adolescentibus, sæpè contingit quod nonnulli, qui gravitatem quidem secum habent, infantium tamen apprehensiones adhuc non deposuerint, quas secum in natura verterunt; indeque cum ingenti veritatis detrimento omnium hominum mentes ita apprehendere, & cogitare, sicut ipsi, existimant; eoque si quid ab aliquo veritatis indagatore in contra profertur, vel risu, vel ira excipitur, tanquam cunctis humani generis mentibus, ipsique naturæ dissonum. Cum tamen nos æquissimi motivo rideamus plura, quæ ab illis vt inconcusa tenentur, quia ex infantilibus apprehensionibus ea procedere, ex ingenuo veritatis examine concinimus. *THO.* Fateor verum

esse, quod Sapiens ille faceret protulit, nempe *dimidium mundi alterius dimidij rideri*, & è converso, frequens enim est inter homines hæc mutua irrisio, vel ironia in pluribus; ac proinde risum per se non probare contra veritatem rei, de qua isti, vel alteri rideant. ingenuè cognoscimus, nisi prudenter, & post serium, exactumque veritatis examen risus edatur. A quibus tamen prudenter, & merito aliorum effata rideantur, à quibus verò temerè, & immeritò, examen ipsum veritatis ostendere debet. Id certè fatemur omnes. Interea tamen non nisi temerè dicere audebis, eas sententias, quæ nedum apud vulgares, nedum apud Scholasticos, & communiter sapientes existimatos, verum apud etiam Ecclesiæ PP. qui Philosophiæ laude claruerunt, & ab antiquis temporibus immemoriam possessionem habuerunt, ex communi præiudicio veritatis eas tantam, ac talem acceptationem habuisse. Quis enim, nisi stupendo temeritatis ausu, dicat, omnes præfatos sapientiæ Procetes absque ingenuo veritatis examine ex infantilibus erroneis apprehensionibus in vnam conspirasse sententiam. *ATO.* Sed quo istam temeritatem ponderas? Nunquid nos Atomistæ effata aliqua proferimus contra univrsalem hominum existimationem, insipientium, & sapientiam, præsentium, & antiquorum, & contra venerandam Philosophorum, & Ecclesiæ PP. antiquitatem. *THO.* An